



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs I. De ente rationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

lib. 3. tract. 3. ex sententia non paucorum, inter quos creduntur esse Scotus, & asseclae, & Caietanus, cum quibusdam Thomistis: album ergo ita sumptum perinde est, atque albedo vnita subiecto: de quocunque ergo prædicetur alter horum conceptuum, de eodem prædicari poterit, ac debet alter: atqui de albedine prædicatur, quod sit albedo vnita subiecto: ergo & quod sit album, siue alba.

105 Respondeo, albedinem bifariam sumi posse: primo

quidem in concreto cum subiecto, & prout non excludit vnionem cum illo: atque ita ea est album, siue alba, vt probat argumentum: secundo in abstracto, & secundum se præcisè, & solitariè, ac prout conditincta ab omni vnione cum subiecto: atque hoc sensu eam esse album, aut album quid, haudquaquam efficitur obiecto nobis argumento. De albedine autem, & cæteris formis solo posteriori intellectu, non vero priori impræsentiarum nobis est sermo.

LIBER QVARTVS.

De oppositis entis incorporei præcisè sumpti, siue entis vt sic.

TRACTATVS I.

De ente rationis.

CAPVT I.

An & quid sit ens rationis.



1 **N**s reale positium, quod solum simpliciter ens reale est, duplex contrarium habet, videlicet ens rationis, & carentiam: hæc, quæ est positium: illud vero, quæ est aliquid reale: de ente rationis prius, de carentia posterius disputabitur. In explicando ergo ens rationis plures entia rationis, atque signa committunt: quo fit, vt non tam explicant, quod de se implicat, quam nobis illud tenebris implicent, atque inuoluant. Vnde merito Cano de locis lib. 9. c. 7. asseruit, se non percipere ea entia rationis, quæ à nonnullis ponuntur: ne ergo in æquiuoco operam ludam, præmittendum est nobis, sermonem esse non de ente rationis subiectiuo, videlicet actu intellectus, nec de ente rationis fundamentalis, nimirum denominationibus extrinsecis, (de quibus satis im præmio Dialecticæ) sed de ente rationis obiectiuo, eoque formaliter, & non fundamentaliter sumpto: quod solum propriè est ens rationis, & ita definiti consuevit: ens rationis est, quod habet esse obiectiuè tantum in intellectu. Hæc autem definitio à Commentatore 6. metaphys. comment. 3. & B. Thoma opusc. 42. cap. 1. ac P. Suarez disp. 54. metaphys. 1. num. 7. & reliquis scholasticis communiter accepta, ita explicari solet, ac debet.

2 **E**ssè obiectiuè tantum in intellectu est nullum esse habere positium, aut negatiuum, possibile, aut actuale, præter esse cognitum ab intellectu: quo fit, vt solum id, quod fingitur ab intellectu, & concipitur aliter esse ac esse etiam diuinitus potest, sit obiectiuè tantum in intellectu, siue ens rationis propriè sumptum: id quod breui quadam inductione sub vnum mentis obiectum subici potest. Creaturæ possibiles præter esse obiectiuè in intellectu, habent esse possibile: vnde quamuis actu non existant, entia rationis nuncupanda non sunt. Deinde eadem ratione obiectum actus falsi, videlicet cursus Petri, cum, non con-

R. P. Richard Lyncei, Philosoph. Tom. III.

currente Petro, affirmatur, non est ens rationis, quia præter esse obiectiuè in intellectu, habet esse saltem possibile vel in causis: cum esse possit, sicuti affirmatur. Rursus carētiæ v. g. tenebræ, præter esse obiectiuè in intellectu, habent suum esse negatiuum à parte rei: quod enim 1. Genesis dicitur, & tenebra erant super faciem abyssi, teorū ab omni intellectus actu tenebras concipiente verum erat. Præterea denominationes extrinsecæ ab intellectu, vel aliunde profectæ suum esse completum habent à parte rei, quin fingantur, aut etiam cogitentur: vnde entia rationis propriè dici non possunt. Reliquum igitur est. vt solum id, quod ab intellectu fingitur, aut concipitur esse aliter, ac esse possit, sit obiectiuè tantum in intellectu, & ens rationis propriè dici mereatur. His igitur præmissis, quæ sunt hominum ingenia, nullum dari ens rationis nonnulli arbitrantur, sed potius quidquid à nobis concipitur esse ens reale. Ita Maior quodlibet. 7. Bernardinus Mirandulan. in expositione prædicamentorum. Vallesius 10. Philos. controuers. Gandauensis, & alij. Alij autem e contra censent, non solum dari ens rationis, quod ens reale reipsa non sit, verum etiam illud adæquatè distinguī ab omni ente reali, & ex pluribus entibus realibus malè conceptis, & falsò combinatis illud minime coalescere. Ita complures Thomistæ, quibus licet non ad sensum Thomisticum, nonnulli Recentiores nostri adhaerent. Verum inter has sententias media quadam mihi amplectenda est, quæ me iudice verior, & communior est, & quam vnâ vel altera assertionem proponam, atque exponam.

3 **A**ssero primo: datur ens rationis, de quo nō esse ens reale verè, & propriè enūciari possit. Hæc assertio, quæ plerorumque Doctorem est, in hunc modum suadet. Primo à priori: quia datur aliquod ens, aut quasi ens, quod ne diuinitus esse possit, sicuti concipitur, & sicuti per voces exprimitur, & significatur vt chymæra, hitocœrus, alius Deus. &c. at eiusmodi ens est rationis ens, vt superius ostensum manet: ergo datur ens rationis: hoc autem ens rationis non est ens reale, quia quoduis ens reale potest esse saltem diuinitus, sicuti concipitur: aut per voces, & nomina sua exprimitur, & significatur, vt constabit discurrenti per omnia entia realia, quæ proculdubio eiusmodi sunt. Secundo à posteriori: quia ens reale est, quod habet aptitudinem ad esse, siue quod non repugnat esse, aut quod contradictionem non implicat, vt omnibus exploratum est: at alius Deus v. g. non habet aptitudi-

aptitudinem ad esse, sed potius repugnantiam ad esse, & manifestam contradictionem implicat: ergo non est ens reale: ergo ens rationis prout hoc ab ente reali distinguitur. Tertio demum, quia si qua ratione ens rationis nullum esset, & quodcumque eiusmodi vocatur, ens reale esset, maxime quia extremis realibus constaret hircocervus v.g. hircos, & cervos: at hæc ratio nulla est: quamvis enim extrema entis rationis sint realia: eorum tamen identitas, siue vnio ficta, & impossibilis est: quod satis est, vt totum complexum non ens reale, sed fictum, & impossibile sit: neque enim ideo præcisè animal rationale est ens reale, quia animal & rationale sunt extrema realia, verum etiam quia sibi non contradicunt, sed potius per veram vnionem, vel identitatem inuicem coalescunt. Quocirca iure merito P. Suarez disputat. § 4. vbi supra assertionem positam manifestam esse pronunciat.

4 Affero secundo: ens rationis, quamvis de eo affirmari possit non esse ens reale, tamen non est aliquid adæquatè distinctum à complexione plurium entium realium, sed potius est aggregatum quoddam per accidens ex extremis realibus, & actu intellectus essentialiter falso: & applicante iis veram, ac realem identitatem, quæ tamen inter ea repetiri nequit: unde homo equus v.g. dicit in recto, & pro materiali hominè, & equum, & identitatem veram, ac realem aliquorum extremorum; & pro formali, ac in obliquo actum realem intellectus, quo identitas realis, & vera iis extremis applicatur, deque iis affirmatur, cum tamen iis competere nequeat. Ita P. Suar. vbi supra n. 6. P. Hurtado satis perspicue disp. 19. Metaphys. sect. 1. n. 13. & maior, meliorque Philosophorum pars: quin imo ij ipsi, qui entia rationis dari negant, doctrinam huius assertionis insinuare videntur, tamen si subobscure loquantur. Probat hanc assertio, primo: quia si aggregatum superius propositum esset ens reale, & non ens rationis, maxime quia quævis eius pars esset ens reale: at licet quævis eius pars sit ens reale, totum tamen aggregatum non ens reale, sed ens rationis esse potest: ergo, &c. Maior est aduersariorum, & seipsa perspicua est: etenim si quævis alicuius aggregati pars esto sit ens reale, efficere tamen nequit, vt aggregatum ipsum sit ens reale: cur in aggregato plurium entium realium ens rationis consistere nequeat? Minor suadetur, quia plura verificantur de partibus singillarum sumptis, quæ in totum cadere nequeunt, & è conuerso: sic quævis pars alicuius totius est simplex, totum tamen ex iis resiliens, non simplex, sed compositum est: sic totum est maius quauis sua parte: at quævis pars semetipsam non excedit: sic etiam totum hoc, quod est homo, corporeum simpliciter est: quævis tamen eius pars corporea non est, sed nonnulla spiritalis, & ab omni corporis contagione immunis: igitur licet quævis pars aggregati nuper explicati sit ens reale, non est necesse, vt aggregatum ipsum sit ens reale: ac proinde ens rationis esse poterit.

5 Secundo suadetur eadem assertio: obiectum huius actus, homo est equus, prout eius obiectum est, est ens rationis: at obiectum eius actus, prout eius obiectum est, nihil aliud est, quam aggregatum quoddam plurium entium realium, nihilque inuoluit quod ens reale non sit: igitur ens rationis est eiusmodi aggregatum, quod nuper exposuimus. Maior manifesta est, nam obiectum eius actus essentialiter falsi prout eius obiectum, est quid impossibile, & repugnans esse sicuti concipitur, ac per eas voces significatur: ergo & ens rationis. Minor suadetur, quia obiectum eius actus, prout est obiectum, siue

prout cognoscitur, nihil aliud est, quam ipse actus, siue cognitio confingens, & id ad quod terminatur, at cognitio illa est ens reale, vt constat: & id etiam ad quod terminatur, est ens reale: nam terminatur ad hominem, & ad equum & ad identitatem aliquam realem homini, & equo applicatam. Hæc autem tria ita comparantur, vt eorum quodlibet sit ens reale. Quod de homine, & equo compertum est: de identitate vero multifariam suadetur. In primis, quia vt ille actus sit essentialiter falsus, sufficit, vt solam identitatem veram, & realem aliorum extremorum; videlicet animalis & rationalis, aut similibus concipiat, eamque homini, & equo applicet; cum tamen inter eos intercedere, eosve identificare nequeat: igitur non est necesse ad essentialitatem falsitatem eius actus, vt ad identitatem aliquam à parte rei fictitiam, & distinctam ab omni identitate vera, seu ente reali terminetur: ergo ad eiusmodi identitatem distinctam ab omni ente reali minime terminatur: si qua enim ratione ad eam terminaretur: maxime quia esset actus essentialiter falsus, & fictitijs. Rursus: si identitas, ad quam talis actus terminatur, non esset vera, & realis identitas, sed potius identitas quædam à parte rei fictitia, & distincta ab omni identitate vera, & reali; sanè illa propositio, homo est equus, esset vera: siquidem affirmaret, hominem esse idem cum equo identitate fictitia, & chymatica, & non vera ac reali: hoc autem etiam iuxta aduersarios verissimum est.

6 Demum: qui Methymna Salmanticam proficiscitur, & qui Salmantica Methymnam reuertitur, diuersos essentialiter motus exercet: quia licet utrobique idem spatium loci conficiat, dispari tamen, & contrario modo illud attingit: igitur qui asserit, hominem esse equum; & qui asserit, hominem non esse equum & ab vno eorum extremorum ad aliud itque, reditque per affirmationem & negationem; is, inquam, diuersos actus efficere poterit, alterum falsum, quantumlibet per vtrumque idem realiter obiectum attingat, videlicet quia diuerso modo illud attingit: igitur absolute per vtrumque idem obiectum attingit: siquæ enim ratione idem realiter obiectum non attingeret, maxime quia alter actus ab altero diuersus, alter verus, alter falsus esset: quod tamen officere non posse iam iam explicuimus. At prior actus, videlicet homo non est equus, non attingit aliquid, quod non sit reale: solum enim attingit hominem, & equum, ac distinctionem vtriusque quorum conceptum nullus non realis est: igitur etiam posterior actus, nimirum homo est equus, non attingit aliquid, quod non sit ens reale: ac proinde identitas hominis, & equi, quam attingit, vera & realis esto, non verè applicata, aut affirmata de iis extremis.

7 Tertio probatur eadem assertio: quia ens rationis est quod habet esse obiectiue tantum in intellectu, id est, quod habet esse in intellectu, & non habet aliud esse positium, aut negatiuum; possibile, aut actuale: igitur ens rationis essentialiter includit hoc, quod est, esse obiectiue in intellectu: ea enim exclusio cum hac inclusione coniuncta est, vt ex doctrina de exclusiuis perspicuum est: cum ergo esse obiectiue in intellectu sit esse cognitum, fictumue ab intellectu, sanè ens rationis essentialiter includit hoc, quod est esse cognitum, fictumue: ergo ipsam fictionem, & cognitionem realem intellectus: perperam ergo ab aduersariis adstruitur ens aliquod rationis, quod ab omni ente reali adæquatè distinguatur, nulloque ente reali constituatur: siquidem vt minimum ens rationis ipsa cognitione

cognitione intellectus aliquid comminiscente constituitur. Quartò probatur illam assertionem: quia si ens rationis non esset tale aggregatum entium realium, quale superius explicuimus, sed potius aliquid adæquatè distinctum ab omni ente reali, vel sequeretur actum, per quem configitur, vel illum præcederet: neutrum dici potest: ergo &c. Minor quoad primam partem latè probata est in procæmio Dialecticæ cõtra Thomistas, qui entia rationis arbitrantur esse relationes quasdam commentitias ex actibus nostri intellectus, in eorum objecta reclusas. Quoad secundam partem probatur igitur illa minor contra nonnullos Recentiores nostros: quia si eiusmodi ens rationis præcedit actum intellectus, per quem aliquid concipitur: ergo non fit per actum intellectus, quod tamen communi fermè omnium persuasioni repugnat, & inferius improbabitur. Iam si eiusmodi ens rationis non sequitur ex actu intellectus, sed eum prævertit; igitur habet suum esse diminutum, ac debile independentè ab actu intellectus, & antequam ab eo cognoscatur, eove medio fit obiectivè in intellectu: haud secus ac tenebræ antequam à nobis cognoscantur, in nostrò intellectu obiectivè sint, suum esse imbecille, ac negatium sortiuntur: eiusmodi ens rationis pro eo priori non habet esse obiectivè in intellectu: atque adeò pro eo priori erit, & non erit ens rationis. Deinde ut supra insinuavimus, ens rationis est essentialiter ens fictum, ut omnes supponunt: ergo includit formaliter fictionem intellectus: eam ergo non magis præcedit, quam album albedinem antevertit.

8 Præterea identitas illa hominis, & equi, quam hi Authores comminiscuntur, antecedit omnem actum intellectus: ergo est à parte rei: ergo est realis, & vera. Quod autem aiunt, eam identitatem eius indolis, esse, ut si daretur à parte rei, esset, & non esset identitas, friuolum prorsus est: tum quia iuxta eos à parte rei dari debet de facto: ergo vtrique illa contradictionis pars sequitur: tum etiam, quasi Petrus v.g. à parte rei esset Angelus, esset, & non esset Petrus; & ramen hinc effici nequit, Petrum esse ens rationis & fictitium; eo, quod illa conditio non purificetur, neque in actum reducat: ergo similiter, quamvis identitas hominis, & equi à parte rei reperta, & omni intellectus actu anterior ita comparata sit, ut si verè à parte rei daretur, essetque vera identitas hominis secum ipso, vel alia similis; eo ipso esset, & non esset; inde tamen confici non poterit, eam esse ens rationis, & quid fictitium. Vnde merito P. Hurtado ubi supra disput. 19. metaphysic. sect. 1. num. 13. docet ens rationis non posse præcedere actum omnem intellectus.

C A P V T II.

Superiores assertiones ab argumentis contrariis vindicantur.

9 Q Vi ex duabus sententiis cap. præterito commemoratis, & extremè cõtrariis priorem amplectuntur, contra priorem nostram assertionem variis argumentis insurgunt: quorum primum esto. Si ens aliquid verè impossibile, ac solius rationis excogitari posset: sanè aliquid ens melius Deo excogitari posset. Consequens falsum esse aduersarij supponunt, & suaderi potest ex Augustino lib. 7. confession. cap. 4. ibi: *neque enim vlla anima unquam potuit, poteritve cogitare aliquid, quod sit te melius, qui summum, & optimum bonum es: cum autem verissime, atque*

certissime incorruptibile corruptibili præponatur: sicut etiam ego præponebam, poteram iam cogitatione aliquid attingere, quod esset melius Deo meo, nisi tu esses incorruptibilis. Augustino consonat Seneca lib. 1. quæstion. natural. in hæc verba: *quid est Deus, quod vides totum, & quod non vides totum: sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil maius excogitari potest.* Respondeo, nihil melius, maiusve Deo verè cogitari potest: id quod solum docent Augustinus, & Seneca locis adductis, & fide sanctum est. Cæterum aliquid Deo melius, maiusve falso cogitari potest, ut manifestum est: quod enim per voces externas adeò imperfectas, & materiales significari potest, id per conceptus internos magis defæcatos, atque subriles significari, & apprehendi potest: ac per has voces externas, *ens melius Deo* aliquid Deo melius significatur, tamen falsò, atque fictitiè, ergo, &c. Arguunt secundo ex illo Luca 10. *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*: at si aliquid ens rationis, & impossibile à nobis concipi posset, verbumque obiectivum nostræ mentis esset, iam aliquid verbum Deo impossibile esset, videlicet eiusmodi ens rationis. Respondeo: cum in sacri instrumenti pagina pronuntiatur, nihil esse Deo impossibile: id intelligendum de iis, quæ non repugnant, quorumque productio Deum omnipotentem arguit: secus vero de iis, quæ à Deo posse fieri non potentia, sed impotentia esset: quique si posset, non esset omnipotens, ut tradit Aug. lib. 5. de civit. Dei c. 10. At Deum posse quid impossibile, ac ens solius rationis, non potentia, sed impotentia, & imperfectionis esset; cum omnis vera potentia ad aliquid possibile, seu ens reale tanquam ad proprium correlativum sit.

Arguunt tertio: nulla relatio vera, & realis terminari potest ad aliquid, quod non sit ens, verum & reale: at cognitio hircocerui v. g. est cognitio vera, & realis, & ad hircocerum terminatur: igitur hircocerum verum ens reale est: perperam igitur adstruitur ens aliquid solius rationis, & quod verum, ac reale non sit. Verum, sicuti cognitio existens terminatur ad id, quod non existit, & cum positiva sit, ad carentiam, quæ positiva non est, re ipsa refertur: ita similiter cum relatio vera, ac realis sit, ad ens rationis veritatem, ac realitatem destitutum terminari tamen, ac referri poterit. Arguunt quarto: si darentur entia rationis, intellectum Dei, quem nihil latet, latere non possent: at Deus entia rationis, & impossibilia tam cognoscere nequit quàm efficere ea non potest. Verum huic argumento inferius satisfiet, cum de facultate entium rationis cognoscitivâ, & effectivâ egerimus. Tandem arguunt: eiusmodi entia rationis, quæ entia realia non sint, nec immediatè & in seipsis, nec mediatè, & in entibus realibus cognosci possunt: igitur nullo modo cognosci possunt, sed potius omnem cognitionem fugiunt, atque prætereunt: atque adeò nullo modo dantur. Antecedens quoad primam partem ab omnibus communiter supponitur, & in hunc modum declarari potest: quia sicuti Deus merito summæ perfectionis, ac entitatis, quâ præditus est, ita superat nostrum intellectum, ut à nobis immediatè cognosci nequeat, solumque mediatè, & per rerum creaturarum species ad eius naturam ascendere possimus: ita similiter ens rationis adeò exiguum, aut potius nullius entitatis est, adeoque infra nostrum intellectum est, ut immediatè, & in seipso à nobis cognosci nequeat, nec nisi per alienas species ad eius cognitionem deprimi possimus. Iam vero idem antecedens quoad secundam partem suadet: namque ens rationis, cum sit non ens, nullam habet similitudinem, aut proportionem cum ente reali: entisque realis nec

causa, nec effectus, aut proprietas est, si cum proprietate loquamur: igitur ens rationis in ente reali, aut per species eius cognosci non potest; siue, quod perinde est, ens reale in eius cognitionem ducere nequit. Respondeo, quemadmodum homo pictus ducit in notitiam veri hominis, esto homo pictus, & verus non conueniant propriè in ratione hominis, homoque pictus propriè homo non sit: ita pariter ens reale ducere potest in notitiam entis rationis, tamen in ratione entis propriè non conueniant; & ens rationis non ens propriè sit.

II Qui posteriorem sententiam initio cap. præcedentis propositam amplectuntur, contra posteriorem assertionem nostram in hunc modum argumentantur: quod disputatur & in controuersiam reuocatur, id eo ipso cognoscitur: at à nobis disputatur, & controuertitur, an sit aliquis conceptus obiectiuus ab omni ente reali distinctus, & nullo ente reali constitutus: igitur eiusmodi conceptus obiectiuus cognoscitur: ergo iam possumus cognoscere aliquod obiectum ab omni ente reali distinctum, & nullo constitutum: ac per consequens eiusmodi obiectum in ratione obiecti datur, cum dari aliquod obiectum in ratione obiecti, sit illud cognosci. Confirmatur, & declaratur: si vera esset sententia contraria, daretur obiectum distinctum adæquatè ab omni ente reali: id enim asserit ea sententia: at concipimus, & apprehendimus veritatem contrariæ sententiæ: alias quâ ratione eam negare possemus: igitur cognoscimus eiusmodi obiectum distinctum ab omni ente reali: ac per consequens eiusmodi obiectum datur. Hoc argumento rem demonstrasse sibi videntur. Verum eodem argumenti genere dari aliquod obiectum intelligibile, necnon aliquod obiectum distinctum ab ente reali rationis, atque carentia, aliaque similia apertè absurda contra eosdem conuinci posset: quod enim quis negat, id cognoscit: cognitio enim in negatiuam, & affirmatiuam dissecatur: at negamus dari aliquod obiectum intelligibile: igitur cognoscimus obiectum intelligibile: ac per consequens eiusmodi obiectum datur, quo nihil magis alienum à ratione fingi potest: si enim intelligitur, quo pacto intelligibile esse potest. Respondent aduersarij dari etiam obiectum intelligibile, quia datur obiectum, quod si verè daretur, esset intelligibile, & simul esset intelligibile. Verum hæc solutio, quæ chimeras chimeris implicat, argumento accommodari, aut præsentis instituto utilis esse nequit: siquidem obiectum, quod assignat, non est absolute intelligibile, sed conditionatè, & ne ita quidem est mere, & purè intelligibile, sed simul intelligibile, & non intelligibile: de obiecto autem hac ratione intelligibili nobis sermo non est, sed de obiecto absolute intelligibili, & purè intelligibili: hoc autem ita intelligibile non datur, nec dari potest, tamen dari posse videatur, eo quod nomen, conceptumque nostrorum significatione deludamur: daretur autem si quid argumentatio posita, eiusque confirmatio concluderent.

12 Quocirca absolute respondeo, cum disputamus: an detur conceptus obiectiuus ab omni ente reali distinctus & nullo constitutus, eiusmodi conceptum ita distinctum cognoscimus; cæterum non cognitione verâ, sed fallâ & commentitiâ: unde eum conceptum potius non dari, quàm dari ab aduersariis inferri posset, & deberet. Aut paulo aliter: eo ipso quod de obiecto distincto ab omni ente reali disputetur, debet eiusmodi obiectum dari, sed non in actu exercito, sed in actu signato: quâ ratione hæc vox signum naturale in actu signato est signum naturale, cum ta-

men in actu exercito non signum naturale, sed arbitrium sit. Dices tamen: in eo obiecto ab omni entium realium amplexione totaliter distinctio idem est dari, siue esse, ac dari in ratione obiecti, siue falso cogniti: idemque est, illud esse in actu exercito, ac esse in actu signato; cum sit ens rationis, cuius totum esse est esse obiectiuè in intellectu: atque per consequens esse obiectum, siue falso cognitum; aut, quod perinde est, esse in actu signato: cum igitur eiusmodi obiectum detur in ratione obiecti, seu falso cogniti, siue in actu signato absolute etiam siue in actu exercito dabitur. Verum hæc replica in ipso argumento delibata præcipuum institutum demolitur, & non tam responsum nostram infringit, quam ei succumbit, intentumque largitur: etenim si obiectum, de quo conueratio est, eius naturâ, atque indolis est, (ut eius esse sit esse obiectum, siue cognitum, neque in eo actus signatus, atque exercitus distinguantur: igitur ipsam cognitionem, actumque signatum formalissimè includit: cum ergo cognitio, siue actus signatus sit ens reale, certè ab omni ente reali adæquatè distingui non poterit. Secundo contra eandem assertionem in hunc modum argui potest: qualibet pars eius aggregari, quod ens rationis esse volumus, est ens reale: qui ergo fieri potest, ut totum ipsum, siue aggregatum ens reale non sit: aut cur homo verbi gratia esse debeat, quantumvis quævis eius pars ens reale sit? Confirmatur, quia ex aggregatione plurium entium rationis ens reale resultare nequit: ergo etiam ex aggregatione plurium entium realium ens rationis existere nequit. Verum huic argumento superius cap. præcedenti satisfactum est. Ad confirmationem respondeo: quemadmodum ex pluribus entibus per se v. g. lignis & lapidibus fit vnum ens per accidens, domus v. g. è contrario verò ex pluribus entibus per accidens fieri nequit ens per se, sed potius per accidens: quâ ratione ex domibus ciuitas, ex ciuitatibus regnum, & ex regnis imperium coalescit: ita similiter in præsentis, &c.

13 Tertio etiam contra eandem assertionem insurgit potest: hoc complexum, homo, equus, & alterius de altero affirmatio realiter existit; ergo potest realiter existere, siue esse: ergo est ens reale: ergo non est rationis: perpetam igitur in eiusmodi complexo ens rationis constitutum est. Antecedens manifestum videtur: nam eiusmodi complexum nihil aliud est, quam numerus ternarius, aut quaternarius plurium entium realium. at eiusmodi numerus à parte rei euidenter existit. Prima consequentia est ab actu ad potentiam, secunda à definitione ad definitum: reliquæ duæ à nullo negari possunt. Respondeo distincto primo antecedenti: hoc complexum, homo, equus; & actus intellectus vtrumque componens existit, sicuti affirmatur: & per has voces, *homo equus*, significatur; nego antecedens: existit aliter quàm affirmatur, ac per has voces, *homo equus*, significatur, concedo antecedens: cum ergo aliquid absolute, & iuxta communem loquendi modum existere sit existere prout significatur per voces, quibus proponitur; & sicuti concipitur per conceptum qui eiusmodi vocibus correspondet: sanè homo equus absolute, & simpliciter non existit: nec potest. Porro numerum ternarium hominis, & equi, & actus vtrumque componentis realiter existere non officit, siquidem obiectum respondens his vocibus, *numerus ternarius plurium entium realium*, &c. Est homo, & equus, & affirmatio vnius de alio, nec non actus reflexus, quo tria hæc concipiuntur: obiectum vero respondens his vocibus homo equus, est homo & equus, & duntaxat

duntaxat affirmatio vnius de alio : vnde homo equus ; siue, quod perinde est, significatum earum vocum realiter inadæquate distinguitur à numero illo ternario proposito, siue à significato harum vocum, numerus ternarius hominis, & equi, & actus vtrumque componentis : quamuis ergo numerus ille ternarius absolute existat non propterea homo equus absolute existet, aut poterit.

- 14 Quarto contra eandem assertionem argui potest : homo equus esset complexum, siue aggregatum quoddam ex homine, & equo ; & apprehensione, aut iudicio, quo alter de altero enunciaretur ; ens rationis non haberet obiectionem tantum in intellectu, imò ne haberet esse obiectionem in intellectu : siquidem cum quis affirmat, aut quasi affirmat hominem de equo, conceptu correspondente his vocibus, *homo equus*, efficit ens rationis : at in eo euentu solum hominem, & equum, & identitatem veram, & physicam cognoscit, illamque iis extremis accommodat, ipsum vero actum non cognoscit : eoque enim eius reflexionis necessitas, aut utilitas est, igitur complexum ex homine, & equo, & actu illo minime cognoscit : vt enim eiusmodi complexum cognosceretur, quamlibet eius partem, ac proinde actum cognoscere oportet : vnde huiusmodi complexum non est obiectionem in intellectu : ac per consequens non erit ens rationis, aut huic certe sua definitio non constabit. Hoc argumentum est omnium optimum ad probandam nostrorum actuum supra seipsum reflexionem : nam actus meus cognoscit *hominem equum* : at *homo equus* more reliquorum entium rationis meo actu essentialiter constituitur igitur meo actu meum met actum cognosco. Quamuis autem non sine manifesto obiectionis facta præiudicio nostrorum actuum supra seipsum reflexio præiudicari possit : satius tamen est, eam in medio relinquere, quam immaturam, ac præpropetram de ea sententiam, & nec mihi, nec aliis fortè placituram proferre. Quocirca aliter respondeo : cum definitur ens rationis, quod habet esse obiectionem tantum in intellectu, siue cognitum, fictumve ab intellectu, sensus est, ens rationis habere eiusmodi esse obiectionem per identitatem ; quasi sit formaliter ipsum esse obiectionem, fictumve, aut cognitum ab intellectu, nullumque aliud esse positum, vel negatum actuale, vel possibile sortitur : neutiquam vero sensus est, esse obiectionem in intellectu per relationem, quasi terminet illud esse obiectionem, seu aliquam cognitionem : argumentum autem factum solum concludit complexum, in quo constituitur à nobis ens rationis, non habere esse obiectionem in intellectu per relationem ad illud esse obiectionem : secus vero per identitatem cum illo : cum tamen hoc posterius, non illud prius probandum esset.

- 15 Postremo contra priorem assertionem hac ratione argui potest : ens rationis, & impossibile concidunt : at deficiente Deo omnis creatura esset impossibilis : ergo & ens rationis : atqui in eo euentu nullus actus intellectus falsus daretur : siquidem omnis intellectus creatus, qui solus falli potest, tunc deficeret : deinde in eo euentu nulla essent extrema realia, ac possibilia : siquidem omnia in nihilum, atque chimæram euanescerent : perpetram ergo ens rationis in aggregato ex actu intellectus essentialiter falso, & extremis realibus inuicem impossibilibus, & absolute tamen possibilibus collocatum est. Verum imprimis hoc argumentum omnes ex æquo torquet, cum iuxta omnes ens rationis connotet essentialiter actum falsum, merito cuius sit obiectionem tantum in intellectu, siue eo actu intrinsecè constitutur, siue ab eo distin-

guatur, illumque vel antecedit, vel consequatur : at deficiente Deo nullus daretur actus falsus : ergo etiam nullum daretur ens rationis, quod Deum essentialiter connotaret : aliunde vero deficiente Deo omnis creatura esset impossibilis : ergo & esset ens rationis : ac proinde hoc daretur : iam igitur aduersarij, qui ens rationis actu falso saltem connotare censent essentialiter, eadem, quæ nos difficultate premuntur. Respondet igitur deficiente Deo omnem creaturam impossibilem, ac simul non impossibilem futuram esse : impossibilem quidem ob defectum causæ : non impossibilem quidem ob defectum extremorum realium, quæ eam impossibilitatem constituent : vnde in eo euentu daretur, & non daretur ens rationis : vt latius estensum est à nobis lib. 4. Physic. tractatus 2. capite tertio.

CAPVT III.

Quæ facultas ens rationis efficiat.

16 **M**ileum est, quanta contentione grauissimi Auctores præsentem quæstionem agitent, cum tamen mere vocalis sit, & nullus rei authoramento ditari possit. Ipse quod in similibus argumentis mihi moris est, operam dabo, vt vocum ambiguitate sublata, & ancipitem verborum nebulis discussis ipsæ res palam emergant. Quocirca altero primo. Intellectus humanus efficit entia rationis. Ita ferme omnis Philosophorum schola, & iure quidem merito : namque efficere entia rationis est fingere per actus essentialiter falsos, siue cognoscere res aliter ac sunt, esseve queunt, vt cuncti modò loquuntur : at intellectus humanus figmentorum mirus artifex est, & res secus quàm sunt, aut possunt esse, multoties cognoscit. Quod de intellectu humano dictum est, id de intellectu etiam Angelico dictum puta : siquidem Angelus errare, & falli potest : haud secus ac peccare. Verum nonnulli Recentiores cum Soncin. 6. met. q. 18. existimant ens rationis non solum à Deo, verum etiam à nobis, & Angelis minime effici posse : siquidem (inquiunt) ens rationis essentialiter repugnat : ergo à nullo simpliciter effici potest. Leue tamen argumentum ad communem loquendi modum deferendum : neque enim id contendimus, ens rationis posse effici ex parte obiecti, idest, fieri posse, vt hircoceruus, verè, & à parte rei existat, sed duntaxat ens rationis effici posse ex parte modi, siue actus, idest, actum per quem fingitur, effici posse. Argumentum autem positum duntaxat concludit, ens rationis priori modo effici non posse : secus vero posteriori modo : at ens rationis effici posse posteriori modo, idest ex parte actus, siue modi satis est, vt absoluitur, & simpliciter effici posse dicatur, atque censetur : tum quia absolute, & simpliciter dicitur intellectus efficere genus, & tamen illud solum efficit ex parte modi, siue generitatis, non vero ex parte obiecti, siue naturæ genericæ, animalis v.g. Tum etiam, quia intellectus absolute, & simpliciter dicitur præscindere hominem ab animali rationali, cum esse animal rationale ignorat : & tamen non præscindit hominem ab animali rationali ex parte obiecti, sed ex parte solius actus, siue modi concipiendi, vt omnibus compertum est.

17 **A**ltero secundo : voluntas efficere potest entia rationis : idcirco enim intellectus efficere potest entia rationis : quia potest componere, & diuidere : vnde quoties componit, siue vnit intentionaliter extrema, quæ inuicem repugnant in hunc modum, homo est equus : aut quoties separat ac diuidit extrema, quæ essentialiter

essentialiter eadem sunt in hunc modum, homo non est animal: toties enim ens rationis efficit: ac voluntas similiter potest extrema aliqua componere, & diuidere: ergo poterit efficere ens rationis. Minor perspicua est: quia voluntas amando obiecta, ea sibi intentionaliter vnit, ac secum componit: odiove prosequendo obiecta, ea à se diuidit, & repellit: ergo etiam extrema aliqua inter se vnire, siue componere, volendo esse eadem; necnon extrema aliqua inuicem diuidere, volendo esse distincta rectè poterit; sicuti ad ens rationis comminiscendum oportet. Hac ratione Lucifer cum se Deum esse concupiscit, extrema impossibilia inter se composuit; & non solum intellectu, verum etiam voluntate ens rationis, siue chimaricum effinxit. Secundo probatur eadem assertio, quia voluntas per suos actus toties errat, quoties aliquid fieri, aut esse vult aliter, ac esse debeat, præceptumve sit: Quare peccatum in sacris litteris passim error appellatur: ergo etiam quoties voluntas per suos actus vult obiectum esse aliter, ac esse possit, erroris insimulanda est: cur igitur per eiusmodi errorem ens rationis efficere nequeat? haud aliter ac intellectus errando illud efficit. Id ipsum suadet; quia sicut actus intellectus essentialiter difformis obiecto, in quod intentionaliter fertur, cum eo ens rationis constituit; ita etiam actus voluntatis essentialiter difformis obiecto, in quod intentionaliter fertur, cuiusque obiectum diuinitus esse nequit, sicuti ab eo intenditur, talis, inquam, actus cum suo obiecto ens chimaricum constituere poterit, siue illud ens rationis appelletur, siue ens prohibitum, uti Scotista communiter impossibilia ab intellectu conficta appellare consueverunt.

18 Cæterum plerique Scholastici superiori assertioni refragantur, iis potissimum fundamentis adducti, quibus probari solet, vniuersale fieri non posse à voluntate. Verū ea omnia in Dialectica ita soluta sunt, ut ex ibi positis non inefficax argumentū cōtra hos Authores retorqueri possit: cur enim voluntas sicut vniuersale efficit, ens rationis efficere nequeat? Dices, quia ens rationis à voluntate factū esset & non esset ens rationis; esset quidem, ut supponitur, non esset, quia non à ratione, siue intellectu, sed à voluntate fieret. Verū præterquam quod ratio apud probatissimos Authores intellectum, & voluntatem per modum vnius interduum complectatur; ac proinde ex hoc capite ens chimaricum à voluntate fictum, ens rationis nuncupari possit: hoc, inquam, prætermisso respondeo, ens rationis dici posse non formaliter, sed radicaliter: eo quod cognitio in intellectu, & ratione residens sit radix eius actus, per quem voluntas ens rationis molitur. Quod de voluntate asseruimus, id ipsum de imaginatione, seu phantasia dicendum esse censet P. Suarez, supra sect. 2. n. 18. & merito quidem: eo, quod imaginatio humana vim habeat componendi, ut aiunt, species simplices; siue concipiendi aliquid esse tale, vel tale: qua ratione obiecta aliqua esse nobis conuenientia, alia vero inconuenientia imaginamur.

19 Assero tertio, Deum efficere potest entia rationis in intellectu alieno, probatur: quia ens rationis est fingi rem aliter ac esse possit: at Deus efficere potest in intellectu alieno fictionem rei, aliter ac esse potest; cum eiusmodi fictio sit verum ens reale, ac proinde sub obiecto diuinæ omnipotentiae claudatur. Dices: efficere ens rationis, est fingere rem secus, ac esse possit: Deus autem per actum alieni intellectus fingere nequit, sed solum facere, ut per eum alienus intellectus fingat. Contra tamen: quod Deus non fingat per actum alieni intellectus, arguit quidem Deum non esse causam intentionalem eius figmenti, siue

entis rationis: at non arguit, Deum non esse causam physicam eius figmenti, & entis rationis: siquidem actum, per quem fingitur, efficienter producit. Hac ratione communiter explicari consuevit, Deum non esse causam moralem, siue intentionalem peccati, v.g. odij ipsius Dei: eo quod peccans, odiove habens non denominetur, eius tamen causam physicam esse, eo quod eiusmodi odium simul cum arbitrio creato efficienter producat. Assero tandem, Deus in intellectu suo, siue per conceptus proprios, entia rationis non efficit: ratio est, quia in intellectu diuino nulla est fictio; deceptio nulla: sicuti enim voluntas Dei omnis macula, scelerisque pura est; ita eius intellectus nullius erroris nebula occacari, obducive potest: cum ergo ens rationis pro formali cognitionem falsam, siue erroneam complectatur; sanè ab intellectu Dei longè relegandum est.

CAPVT IV.

Quæ facultas ens rationis cognoscat?

20 Illud exploratum est, ens rationis à quacunque facultate effici potest, ab ea eadem cognosci posse: siquidem non nisi cognoscendo effici potest, eiusque efficientia in cognitione essentialiter falsā constituit: vnde intellectus humanus, & Angelicus, & vis imaginatrix ens rationis vt efficere, sic etiam cognoscere possunt: quare de solo Deo quæstio hæc esse potest, quæ sicuti præcedens vocum ambiguitate laborat, laboremque parit: vnde vt distinctius dirimi possit, vnā, aut alterā assertionem sensum meum aperiam. Assero primo, Probabile est, Deum absolute, & simpliciter non cognoscere entia rationis v. g. hominem, hircocerum, &c. Hanc assertionem tuetur P. Vasquez t. 2. in. 1. part. disp. 118. cap. 4. modus tamen, quo eam defendit, nec mihi, nec aliis communiter probatur, eiusque argumenta inferius enodabuntur. Suadet ergo statuta assertio: quia vt verum sit, Deum absolute, & simpliciter non cognoscere hominem equū, satis est, vt eum non cognoscat conceptu correspondenti his vocibus *homo, equus*; at eum, eo conceptu non non cognoscat: ergo absolute, & simpliciter eum non cognoscat. Minor perspicua est: quia conceptus correspondens his vocibus *homo equus*, est conceptus falsus, quoque homo esse equus apprehenditur, vel affirmatur: primo à contrario, quia conceptus correspondens his vocibus *homo verus distinctusque ab equo* est conceptus verus, quoque homo non esse equus apprehenditur, vel iudicatur. Secundo à priori, quia hæc voces *homo equus* significant hominem equum: at homo equus includit intrinsecè, & essentialiter actum falsum: ergo hunc significant: ac proinde hic illis correspondet. Porro maior præcipui syllogismi suadet: quia cum agnosco hominem, eius definitionem ignorans, absolute, & simpliciter non cognosco esse animal rationale, id enim est eius definitionem, ignorare: at non alia de causa, nisi quia non cognosco animal rationale conceptu, siue claritate correspondenti huic voci complexæ; *animal rationale*: ergo similiter in presenti, &c.

21 Assero secundo, Deus ex parte obiecti cognoscit entia rationis: eaque nihil intrinsecè, & essentialiter includunt, quod intellectum Dei lateat, ab eo ve non cognoscat. Ita P. Suarez disput. 54. Metaphys. sect. 2. Hurtadus disput. 19. Metaphys. sectione 2. Arriaga disputatione 16. Metaphys. sectione 4. & ex antiquis Scholasticis ferme omnes. Probat assertio:

assertio: quia Deus cognoscit meum actum, quo chimaram, seu ens rationis comminiscor, nunc, verbi gratia, homo est equus: igitur cognoscit omnia eius connotata, quæque ab eo essentialiter respiciuntur: cum ergo actus ille connotet, & respiciat essentialiter ens rationis, nimirum hominem equum, necesse quidem est, ut Deus ens rationis cognoscat, aliàs meum actum non comprehenderet. Respondet P. Vasquez, eiusmodi actum tantum respicere essentialiter, realiterque referri ad extrema realia, quæ ab eo repræsentantur: secus vero ad unionem fictam eorundem. Vnde Deus, eum actum comprehendens, sola extrema realia, videlicet hominem & equum, secus vero identitatem fictam illorum cognoscat. Veum hæc solutio non satisfacit: quia eiusmodi actus vel cognoscit identitatem fictam, quatenus talem, & ita eam essentialiter respicit: ac proinde eam Deus attingit, eo ipso quod actus comprehensor sit: quod si actus ille identitatem fictam, qua talem non cognoscit, nec per modum obiecti respiciat, sed solum extrema realia, ut P. Vasquez contendit, certè eam identitatem fictam essentialiter constitueret, ac proinde eam essentialiter respiceret eo ordine, quo quævis pars totum suum respicere consuevit: igitur à Deo comprehendendi non poterit actus ille, quin identitas ficta, seu ens rationis, quod à Deo vel extrinsecè, vel intrinsecè respicitur, ab illo cognoscatur.

22 Hinc emergit secunda nostræ assertionis probatio: quia ens rationis, videlicet homo equus, sola tria intrinsecè, & essentialiter complectitur, nempe hominem, & equum, & actum falsum, quo homo de equo affirmatur: at hæc tria à Deo cognoscuntur: ergo & ens rationis. Tertiò eadem assertio probatur: Deus cognoscit hunc actum, *homo est equus*, esse falsum: ergo cognoscit eum actum repræsentare aliquid præter extrema realia: aliàs non magis cognosceret, eum actum esse falsum, quam hunc homo non est equus, qui etiam extrema realia repræsentat: ergo cognoscit eum actum repræsentare identitatem fictam vel in actu signato, vel in exercito: eam videlicet tribuendo, vel cognoscendo: ergo Deus absolute cognoscit identitatem fictam siue ens rationis. Tandem: ad perfectionem diuinæ voluntatis attinet, non solum attingere per suos actus bona, verum etiam mala: illa nimirum amando, & hæc odio prosequendo: ergo etiam ad perfectionem diuini intellectus attinet, attingere per suos actus, & cognitiones, non solum entia realia, & vera, verum etiam entia rationis, siue fictitia: ita tamen ut hæc neger, illa affirmet.

CAPUT V.

Nonnulla argumenta contra duo capita precedentia solvuntur.

23 **Q**Uæ cap. superiore, & superiori proximo assertimus, magnâ ex parte clara sunt: si quas autem difficultates habent, eas ibidem quasi in transcurso solvimus: duo tantum supersunt, quæ quia magis dubiosa consultò in hoc caput remisimus: videlicet efficientia entium rationis, & cognitio entium rationis: quatum alteram Deo negauimus, alteram verò ei concessimus. In primis igitur non desunt, qui Deum per conceptus proprios sui intellectus entium rationis causam effectiuam efficiunt: & si verbis audacia detur, quam res merentur, figmentorum artificem esse contendunt: à quibus quæ obiciuntur, quæque obici possunt argumenta, breuiter refellam. Argumentum

primum est: ad perfectionem diuini intellectus attinet intellige omne intelligibile: cum ergo entia rationis intelligibilia, eorum intellectio Deo necessaria erit: & cum intelligi, siue cognosci, aut esse obiecti- uè in intellectu sit totum esse entium rationis, certè effectio entium rationis non minus, quam eorum cognitio Deo necessaria erit. Respondeo: quatenus entia rationis absolute à Deo cognosci nequeant, nec ab eo efficiantur, superius exposuimus: quatenus autem à Deo cognosci possint: quæque ab eo efficiantur, inferius hoc capite exponemus. Arguunt secundò. Deus cognoscere debet vnumquodque, quale est: cum igitur ens rationis, tamen non sit ens, ad modum tamen instar entis sit, non poterit Deus cognoscere ens rationis, siue non ens ad modum entis, siue aliter ac est: hoc autem est fingere quodammodo, & ens rationis efficere. Respondeo: Deus cognoscit ens rationis, siue non ens ad modum entis: id est, concipit ens rationis esse simile saltem analogicè enti reali, in quo nulla fictio, nulla rationis efficientia esse potest. Caterum non cognoscit ens rationis, siue non ens ad modum entis: quasi illud esse ens apprehendat, vel affirmet: sicut ad ens rationis efficiendum oportet.

Arguunt tertio: Deus mente concipit has propositiones, homo equus repugnat, si daretur homo equus esset rationalis, aliasque similes: quæ enim in iis imperfectio Deo repugnans, & indigna esse potest: at Deus ea iudicia formare nequit, nisi hominem veluti equum, & ac si esset equus, concipiat: igitur eum ita concipit: ac proinde rem aliter ac esse possit non indicando, sed apprehendendo concipit: ac proinde ens rationis efficit. Respondeo: cum Deus affirmat hominem equum repugnare, aut quid simile, necesse non est, ut hominem esse equum saltem apprehendat, ut in argumento supponitur potius, quam probatur: sed satis est, ut affirmet repugnare hominem identificari cum equo: sicut identificari ab intellectu creato concipitur, vel concipi potest. Hoc autem pacto affirmare repugnantiam hominis equi, aut alterius chimæ nullam fictionem, nullam entis rationis effectiorem complectitur. Dices tamen: Deus affirmare potest, hominem equum repugnare primario, & directè, ac seorsim ab eo, quod ab intellectu creato obiectum illud attingatur, aut possit: haud aliter ac hominem non repugnare independentem ab intellectu creato, & à quouis eius actu affirmat: at si affirmatio illa, quæ Deus hominem equum repugnare iudicat, talis esset, qualem modo exposuimus, non posset Deus eam affirmationem habere sine expressâ habitudine ad intellectum creatum, & eius actum circa idem obiectum. Verum huic replicæ factum est satis, ubi supra hominem equum actu falso intellectus creati intrinsecè constitui statuimus. Arguunt quartò: quia non est maior imperfectio apprehendere rem aliter, ac est in se, quam distinguere rem ratione, quæ in se realiter distincta non est, quæque in se multiplex non est: sed vnâ mente multiplicem reddere: at hoc posterius in Deum cadere posse non abnuunt plures Theologi, ac Philosophi non exigui nominis, inter quos sunt Henricus quodlibeto 5. quæst. 1. Durand. in 1. distinct. 2. quæst. 3. Canariensis, & alij, quos referre superuacat. Respondeo abstractionem non est mendacium: vnde Deus abstractione vnus falsitatis ab altera, vnâ ab alia ratione distinguens, nullius mendacij, nullius falsitatis particeps est: at apprehendens rem esse aliter, ac est, necessario falleretur.

Tandem obici potest: in eo, quod Deus apprehendat,

hendat, hominem esse equum absque eo, quod idem iudicet, nulla est imperfectio: ergo id apprehendere potest: ac proinde ens rationis efficitur. Consequentia perspicua est: siquidem ens rationis non nisi cognitione rei aliter ac est in se, fabricari dicitur. Antecedens suadetur: quia illa imperfectio vel esset in eo, quod Deus apprehenderet hominem esse equum; cum tamen Deo omnis apprehensio, sicuti etiam discursus repugnare videatur: & hoc falsum est, quia Deo solum repugnat apprehensio simplex, id est, iudicij circa idem obiectum omnino expers: Deus autem apprehendens hominem esse equum, hominem non esse equum affirmat & de eodem obiecto iudicium habet: aut ea imperfectio in eo sita esset, quod apprehensio illa Dei: qua hominem esse equum conciperet, falsa esset: & hoc non minus falsum est, cum omnis apprehensio falsitatis expers sit, solumque iudicium propriè falsum, aut verum esse possit. Confirmatur. Deus potest inefficaciter velle aliquid, quod efficaciter non vult: qua ratione omnes homines saluos fieri inefficaciter quidem, non vero efficaciter contendit: ergo etiam potest Deus apprehendere aliquid tale esse, videlicet hominem esse equum, quantumvis id non iudicet, nec indicare possit: certè quemadmodum se habet volitio inefficax ad efficacem; ita apprehensio ad iudicium: unde sicut volitio inefficax Dei efficaci non conformatur; ita similiter apprehensio conformis enadere non debet iudicio, quod circa idem obiectum habet.

26 Hac obiectio, quæ me iudice cæteris difficilior est, paulo fusiùs diluenda est. Respondeo igitur, implicare in Deo apprehensionem, qua hominem esse equum vllatenus concipiat. Primò, quia eiusmodi apprehensio composita, tametsi falsitatem completam; siue, quod petinde est, perfectam non haberet, ut in Dialectica exposuimus: cæterum falsitatem imperfectam necessario haberet: eaque falsitas propria & stricta falsitas esset: haud aliter ac apprehensio nostra, quantumvis simplex, & imperfecta cognitio est: propria tamen cognitio est. Consequens, quod plane absurdum est, hac ratione inferitur, quia actus ille, quo Deus hominem esse equum concipit, rem aliter, ac est in se, concipit: quod autem id per modum apprehensionis, non vero per modum iudicij faciat, quominus falsum sit, neutiquam obest: quemadmodum enim ad malitiam alicuius volitionis liberæ impertinens sit, quod efficax, aut efficax sit, dummodo ad obiectum prohibendum feratur: ita ad falsitatem propriam alicuius cognitionis impertinens est, quod apprehensio, vel iudicium obiecti sit, modo illud aliter ac est, esse tamen concipiat. Deinde ea apprehensio composita nulli vsui deseruit: neque enim deseruit ad hoc, ut Deus per iudicium virtualiter posterius iudicet, hominem esse equum. cum eiusmodi iudicio Deus careat: neque etiam ut iudicet, hominem non esse equum, cum potius huic iudicio aduersetur, eiusque obiectum destruat: neque etiam ad hoc, ut Deus simpliciter, & nil iudicando concipiat hominem esse equum: cum enim homo non sit equus, quæ eius conceptionis necessitas, aut utilitas præsertim in Deo esse potest: Ut ergo desint alia nomina, quibus ea apprehensio à Deo reici debet, certè tanquam inutilis de eo explodenda est. Demum ea apprehensio, qua Deus hominem esse equum concipit, propriè falsa non est, ut merito supponitur in argumento: ergo propriè nihil fingit: ergo propriè ens rationis non efficit; quantumlibet in Deo admittatur.

27 Progrediamur iam ad argumenta, quibus cognitionem entium rationis Deo concessam P. Vasquez,

& alij impugnant. Obiiciunt igitur primo: entia rationis ubi à Deo cognoscantur, tantum habent esse obiectiue in eius intellectu, cum nullum aliud esse actuale, vel possibile positivum, vel negativum, præter illud esse obiectiue fortiantur, utpotè quæ suapte natura repugnant: at ideo entia rationis à nobis fiunt, quia tantum habent esse obiectiue in mente nostra: igitur etiam fient ab eo: siquidem in eius intellectu non solum obiectiue, verum etiam quod inde sequitur, obiectiue tantum reperiuntur: consequens autem absurdum est: ergo & illud ex quo deducitur. Huic argumento respondet P. Hurtado ubi supra, entia rationis quantumlibet cognita à Deo non esse obiectiue tantum in eius mente, sed habere ulterius aliud esse, videlicet esse fingibile à nobis. Contra tamen, quia entia rationis à nobis fiunt, ac proinde habent esse obiectiue tantum in nobis: & tamen priusquam à nobis fiant, aut cognoscantur, habent esse fingibile tam à nobis, quam ab aliis: cum semper prius sit obiectum esse fingibile, quam esse actu fictum: ergo similiter in præsentia, &c. Vnde planius, & facilius argumento responderi potest in hunc modum: cum definitur ens rationis, quod habet esse obiectiue tantum in intellectu, particula *tantum* denominat illud non habere esse aliquod positivum, aut negativum in se, vel in causis, ad eum modum, quo cognoscitur, vel sicuti repræsentatur: quocirca particula illa denotat, ens rationis non posse esse, sicuti est obiectiue in intellectu: ac per consequens denotat, illud esse obiectiue, sicutum esse in cognitione essentialiter falsà, & commentitià: Hac autem ratione entia rationis à Deo cognita non sunt obiectiue tantum in eius mente, cum in ea non sint per cognitionem falsam, sed potius per cognitionem veram, & obiecto conformem.

28 Obiiciunt secundo. Si Deus cognosceret ens rationis à nobis cognitum, figmentum nostrum mente sua retineret, conseruaretque: at conseruare, & retinere in suo esse aliquid est illud efficere; vel certè perinde est, ac illud efficere: ergo Deus cognoscens ens rationis à nobis cognitum, illud efficit; vel perinde se habet, ac si illud efficeret. Respondeo: conseruare rem aliquam est conferre denuò illi esse, quod prius acceperat: at Deus quantumvis ens rationis à nobis cognitum cognoscat, non tribuit ei idem esse, quod à nobis acceperat: siquidem à nobis habet esse fictum, à Deo vero esse oppositum, nimirum esse cognitum: unde Deus potius destruit, quam conseruat ens rationis, quod à nobis factum intuetur. Obiiciunt tertio: si Deus cognosceret entia rationis, ea ab æterno cognosceret: consequens est falsum: ergo, &c. Minor probatur, quia entia rationis à Deo æternum cognita essent obiectiue tantum in eius mente: siquidem in alterius mente, aut intellectu obiectiue non essent: eo quod nos, & Angeli ut ab æterno non sumus, ita ab æterno nihil fingere possumus: at entia rationis obiectiue tantum in mente Dei esse nequeunt: aliàs in illa, & ab illa totum suum esse haberent, ac proinde ab ea fierent. Respondeo: cum dicitur ens rationis esse obiectiue tantum in intellectu, particula *tantum* non excludit illud esse obiectiue in alterius intellectu: aliàs profectò ens rationis sapissimè cum à nobis fingitur, à nobis tamen minimè fieret: particula ergo illa exclusiua tantum excludit posse esse, sicuti repræsentatur, & est obiectiue in mente; aut, quod petinde est, posse esse verè cognitum per eum actum, per quem concipitur, aliumve quemuis in modo tendendi similem: unde denotat, cognitionem,

nem, per quam est obiectiue in mente, esse falsam: cum ergo entia rationis à Deo æternum cognita falsò non cognoscantur, certè obiectiue in mente creatoris non præexistunt.

29 Obiiciunt tandem. Si Deus cognosceret entia rationis, v.g. alios homines, præter eos, qui de factò possibiles sunt, certè cognosceret per scientiam conditionatam, quod sub hac, illave conditione existerent, & à se producerentur; & si existerent, quibus auxiliis eos præueniret; & si præuenti, & vocati essent, quot, quive eorum conuincerentur, aut obstinarentur: & circa hæc eadem obiecta decreta similiter conditionata efficacia, aut inefficacia haberet: scilicet is superis labor est, ea cura quietos sollicitat: scilicet Optim. Maxim. Deus, ac deformes illæ Beatorum mentes, amementum in stat, rerum nec futurarum, nec possibilem scientia, ac prouidentia vanissimè implcantur. Respondeo: Deus à scientia, & prouidentia euentuum sub conditione impossibili futurorum breuiter sese expedit, cognoscendo posita quauis conditione impossibili, vtramque contradictionis partem sequutum iri, & idipsum volendo. Quod si in euentis impossibilibus cognoscendis, & volendis Deum longius immoraturum contendas, hoc ipso quod ab eo cognoscantur, nescio quod inde absurdum sequi possit, magis, quàm ex eo, quod rebus possibilebus cognoscendis, & volendis intentus sit: etenim possibile, & impossibile comparatione Dei moraliter loquendo nihil inter se distant, eo quod vtraque simpliciter infinitè à Deo distent: qua ratione communiter dici consuevit, hominem & formicam comparatione Dei moraliter loquendo inter se non distare: vnde quemadmodum Deus possibile velle, & cognoscere, quantumuis vilia, abiecta que sint: ita similiter in præsentia, &c.



TRACTATUS II.

De reliquis oppositis entis.

CAPVT I.

In quo carentia rerum sita sint.

1 **P**RIMA sententia est, carentias rerum ab omni ente reali positio: realiter distinctas esse, & à parte rei independenter ab omni operatione intellectus suo modulo reperiri. Ita Molina 1. part. quæst. 4. artic. 1. Vazquez tom. 1. in 1. part. disp. 100. cap. 2. Suarez disp. 54. metaphys. sect. 4. & 5. Albertinus disp. 3. de substantia quæst. 1. Conimbr. Tolerus, Rubius, Fonseca, Hurtadus, & alij, quos referre longum esset. Secunda sententia est, carentias rerum nullo modo distingui à parte rei ab omni ente reali positio: quam sententiam à scholis iam diu relegate aliqui recentiores nostri mirificè illustrant: eamque ex Aureolo, Gabriele, Soncinato, Soto, & Canonico, aliisque antiquioribus eruisse sibi vili sunt: in ea vero explicanda diuisi sunt: aliqui siquidem carentiam in complexo existentia: possibile, & propositionis negatiua: qua ea existentia non existere verè asseritur: alij vero eam in complexo eiusdem existentia: & diuini decreti, quo Deus ab existentia rei abhorret, eamque odio, & nolitione efficacè prosequitur; nonnulli denum eam in aliquo contrario positio cum existentia essentialiter incompossibili formalissimè collocant: in contrario,

inquam, creato, cuiusmodi est amor respectu odij, aut dissensus respectu assensus: vel cum hoc non suppetit in contrario increato, quale est volitio Dei inefficax, quæ obiectum suum essentialiter destruit, ac demolitur.

2 Inter has sententias ea, quæ priori loco posita est, mihi potior, & antiquior est, & hac vnica ratione probatur. Carentia rerum à parte rei distinguuntur ab omni ente reali positio: ac non virtualiter intrinsecè: ergo realiter. Maior suadetur: siquidem carentia rerum sensu materiali saltem interno percipi possunt: ac decretum aliquod diuinæ voluntatis, aut actus diuinæ scientia: sensu materiali percipi nequeunt: igitur carentia rerum in actu diuinæ voluntatis, aut intellectus solo, aut simul cum existentia rei possibilis realiter consistere non poterunt. Quod autem in alio ente reali positio realiter consistere nequeant, manifestum est: siquidem carentia amoris, nec amore, nec odio existente, in odio nulla ratione sita esse potest: in propositione etiam negatiua, qua existentia odij à me negatur, multo minus ea carentia collocari potest: cum me nec odium affirmante, nec negante, odium tamen omnino non existat. Maior autem huius syllogismi conspicua est: siquidem bellæ rationis expertes, soliusque sensus participes, de absentia tamen obiectorum sibi expectabilem mærent, atque tristantur: quò respexit ille Metamorphoseos 1. vbi de Io in bouem conuersa, ita concinit.

Quos potuit solos tendens ad sidera vultus

Cum gemitu, & lacrymis, & luctifono mugitu

Cum Ioue visa queri est, finemque orare malorum.

Minor autem eiusdem syllogismi probatur: quia si sensus materialis actum aliquem diuini intellectus, & voluntatis percipere posset, ad eius claram visionem eleuari posset: quæ ratione noster intellectus, quia in hac vita in speculo, & ænigmate Deum percipit, ad eius claram visionem potest supernaturaliter euehi: ac sensus materialis diuinitus eleuari nequit ad clarè videndum actum vllum diuinæ voluntatis, aut intellectus: aliàs eleuari posset ad clarè videndum Deum, què cum actus ille reipsa identificatur: quod tamen omnes Theologi dissentunt.

3 Rursus maior præcipui syllogismi suadetur: carentia respectiua, siue negationes, quibus res vnæ ab aliis distinguuntur, realiter non consistunt reipsa, & à parte rei in complexo vtriusque rei distinctæ: si enim distinctio Petri à Paulo in vtroque consisteret, distinctio etiam Pauli à Petro in vtroque sita esset: quare vtraque distinctio, vna, eademque relatio esset, & vno, eodemque fundamento, ac termino gauderet: ac proinde Petrus à seipso, & Paulus vicissim à seipso realiter distinguerentur: quod quàm manifestè absurdum est, tam manifestè infertur ex iis, quæ de prædicamento relationis in Logica disseruimus: quod si negatio, siue carentia respectiua, qua Petrus, verbi gratia, non est Paulus à parte rei sita non est in complexo vtriusque: esto vterque absque distinctione repetiri nequeat; neque etiam in complexo aliorum entium realium, vt omnibus exploratum est, non conspicio, cur priuatio, aut carentia absoluta Petri in rerum natura consistere possit reipsa in complexo existentia: possibile Petri, & nolitionis Dei efficacis, alteriusve contrarij, tametsi tale complexum diuinitus repetiri nequeat absque carentia Petri, siue absque eo, quod Petrus non existat. Præterea eadem maior probatur: quia non magis connectitur nolitio efficacè Dei cum carentia rei nolita: quàm volitio efficacè Dei cum existentia rei volita: